



HIERONYMI  
**CARDANI,**  
 DE NUMERORVM  
 PROPRIETATIBVS  
 LIBER VNICVS.

CAPVT PRIMVM.

*DE PROPRIETATIBVS VNIVS NUMERI  
 & Secundi. Primò, De his quæ ab Euclide describuntur  
 in Septimo & Octauo & Nono Libro  
 suorum Elementorum.*



**N**UMERORVM alij dicuntur primi qui à nullis aliis numerantur vt 7 & 43. alij compositi vt 10 quia ab aliis numerantur vt à 2 & 5 nam ducto 2 in 5 fit 10. Hoc autem in tractatu de integris declaratum est. Compositorum quidam superficiales vocantur qui à duobus producuntur vt 10 à 2 & 5 & 36 à 18 & 2 vel à 3 & 12 vel à 4 & 9. alij solidi cum componuntur ex tribus vt idem 36 cum componitur ex 6. & 3. & 2. nam ducto 3 in 6 fit 18. & ducto 8. in 2 fit 36. Igitur omnis solidus potest esse superficialis non autem omnis superficialis solidus. Nam 10 nullo modo potest dici solidus. Quidam vero numeri ex pluribus quam quatuor componuntur vt 120. ex 5. 4. 3. 2. Sed hoc non considerat Euclides quia in continuis nihil est vltra corpus & hoc non intelligitur habere plusquam tres demonstrationes. Ideo finis Euclidis est in numeris ad solidos velut in continuis ad corpora. Superficialiũ & solidorum quidam ex æqualibus numeris constant & vocantur Quadrati. Si sint superficiales aut cubi si sint solidi 4 igitur est Quadratus : constat enim ex 2 in 2 & 9 est

*Tom. IV.*

quadratus : constat enim ex 3 & 3 & 36 vt constat ex 6 in 6 est etiam quadratus, vt verò constat ex 3 in 12 est contentus sub genere communi, id est vocabitur superficialis. Et ita 5 est cubus constans ex 2 & 2 & 2. & 27, cubus ex 3 & 3 & 3, constans & 64 cubus, ex 4 & 4 & 4, vt verò constat ex 24. 8. non est cubus sed solidi nomine tantum nuncupatur, vt verò constat ex 32 & 2 dicitur superficialis, vt verò constat ex multiplicatione 8 in 8 dicitur quadratus. Item igitur numerus quandoque potest dici cubus & quadratus & solidus purus & superficialis purus : numeri vero æquales producentes solidos cubos vocantur latera cubica seu radices cubicæ. Et producentes quadratos superficiales latera vel radices quadratæ.

Osiander vero conatus est omnes numerorum species ad Euclidis ordinem reducere & pro illo intelligere decet primum statui latus secundum quadratum, tertium cubum, quartum quadratum superficiale,

5	1	Vnitas.
P	2	Latus.
2	4	Quadratus.
3	8	Cubus.
4	16	Quadratus superficialis.
5	32	Superficialis oblongus.
6	64	Cubus Quadrati.
7	128	Solidus oblongus.

A

id est